



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm VII. Perpetuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM VII.

Perpetua.

impetrent, post lapsum eiusmodi temporis priuatur electus omni iure, vt ad aliam electionem procedendum sit, atque nisi procedant electores intra tres menses, iuxta c. Ne pro defectu 41. hoc tit. ea vice iure eligendi priuati existant. Ita ex hoc c. ver. liberam, collegit hic Ioan. Monachus, sed postea aperte definitus est à Benedicto XI. extrauag. communi, quæ incipit: *Si Religiosus*.

4 QVÆRES primò: A quonam Superiore licentiam petere debeat is, qui ecclesiæ alicui affixus est, ita vt transire inde non possit? Respondeo. Petendam esse à proximo Superiore; videl. ab Abbate, & Episcopo, cui Monasterium subiectum est; à Pontifice vero, si electus sit Cardinalis, vel Abbas, aut Religiosus Monasterij, quod Sedi Apostolicæ immediatè subiectum est.

5 QVÆRES secundò: Postquam electus licentiam consentiendi impetrauit, habetne integrum mensem, seu triginta dies, ad deliberandum? Responso est affirmatiuè, cum Gl. ver. conditio, Ioan. Monacho, n. 8. ver. Sed obiecta: Quia tempus iure statutum non debet currere impedito, c. quia diuersitatem, de præbend. Sed electus consentire non potuit ante impetratam licentiam: Ergo ante impetratam licentiam non incipit tempus xxx. dierum, siue vnus mensis ad deliberandum concessus.

6 QVÆRES tertio: Vtrum Superior compelli possit ad licentiam dandam. Respondeo cum eodem Ioan. Monacho n. 12. Ordinariè compelli non posse, arg. c. ad aures, 5. de tempor. ordinationum: quia hæc est gratia quædam, ad quam faciendam nemo compellitur iuxta c. precariæ, 10. q. 2. Dixi autem *ordinariè*: Quia si necessitas postulet, vt subueniatur alicui v. g. Monasterio, compelli potest Abbas, vt Religiosum suum ad Abbatiam vel aliam administrationem transferri consentiat, si causam rationabilem negandi non afferat. Quia hoc casu ex æmulatione negare censetur; si nolit alteri prodesse eo casu, quod sibi seu Monasterio parum, aut nihil oberit.

* * *

Ubitatum fuit, vtrum pœnas decretas in c. Cum in cunctis, de elect. incurrant electores, si in personam indignam vota sua scienter dixerint, sed electio communis secuta non sit, quamuis scrutinium publicatum. Hanc quæstionem definiens Gregor. X. in eodem Concilio c. 6. Respondit: Tametsi hi grauius peccarint, & ob id etiam ab Apostolica Sede puniri possint; tamen pœnas c. cum in cunctis, decretas contra indignum eligentes in hoc casu Capitulares non incurrunt: ideòque ad aliam electionem procedere possunt, imò debent. Ratio responsionis est, quam hic affert Ioan. Andreas: Quia pœna intelligi debet cum effectu, c. relatum, de clericis non residentibus: Isti autem non processerunt ad electionem, quippe quæ post publicatum scrutinium nomine Capituli communiter fieri debet: Ergo non incurrunt pœnas decretas contra eligentes indignum. Cæterum, si in aliqua Ecclesia consuetudine, vel priuilegio obtentum sit, vt per suffragia à singulis præstita & publicata in Capitulo electio perficiatur eius, qui maiorem Collegij præsentis partem habet; tum dicendum est, electores incurrere pœnas c. cum in cunctis, si tali modo indignum scienter elegerint. Quia ea constitutio ab Alexandro III. generatim edita est contra eligentes indignum, antequam forma electionis ab Innocent. III. in c. quia propter, constituta esset.

CAPITVLVM VIII.

Nulli.

PARAPHRASIS.

Eligentes aliquam personam, postquam electio publicata est, audiendi non sunt, si eam oppugnare velint, obijciendo ipsi electo aliquod crimen vel defectum: Nisi causa impugnationis postea accesserit, v. g. quia electus administrationi se statim immis-

E e e

immis-